

46 (irritans) continent generaliter omnia decreta Concilij Trid. vt continetur in Bullis Pij IV. & Pij V. super cōfirmatione, & obseruatione eius Cōcilij emanatis. Flamin. Parif. *de resign. benefic. lib. 4. q. 9. n. 2. 4.* Felin. *in c. nonnulli n. 2. de rescript. Caputaq. decis. 176. n. 2. & 3. p. 1.* Hieron. Gózal. *in regula de mens. gl. 15. n. 37.* vbi etiā dicit quod decretū (irritas) contentū in lege cōciliari, afficit etiā manus Papę, & ipsum ligat, quando de expressa derogatione non cōstat, cum generaliter prohibitio & dispositio conciliaris requirit expressā mentionē, & denegationē per eū *ibi n. 36.* de hac tamē derogatione Concilij, præcipuē Trid. dic vt latē per Nicol. Garc. *de benef. 4. p. c. 5. a. n. 2. 5. & sursum.*

47 Ac propterea praxis est notissima supremorum tribunalium vt appellationi deferendum, reponēdūmq; esse declaratur: si interponatur à prouisione indistinctē quorūcūque beneficiarū, siue simpliciū, siue curatorū, siue iudicialiter, siue extraiudicialiter in ea sit processum, (secūdum quæ dixi supr. 2. p. c. 13.) quādo scilicet, peccatū est in forma ipsius prouisionis, seu aliās notoriē detegitur nullitas ex inspectione processus, quę ipsā prouisionē irritā iure reddat, quoniā quod nullū est, executionē nō meretur, secūdum text. *in l. 4. §. condēnatiū. ff. de re iud. & quæ hucusq; hoc capite dicta sunt.* quare inutile nō erit aliqua hęc annotare loco exēpli, quibus prouisio nulla cognoscetur, vt pariter appellatione suspendatur.

48 Et in primis circa dispositiones dictorū sacrorū decretorū Trid. & motus proprii, quoad prouisionem Parochialium, quæro, cum in eis dicatur; editūm proponendū esse publicum, & per id esse vocādos, qui voluerunt se examinari, an edictorū omisio vitiet concursum, Zerola *in praxi Episcopali 1. p. verbo Parochia. §. 2. 2. dubio & Cechus de repub. Eccl. c. 28. de Parocho, sub n. 6.* affirmant; editūm esse necessariū ex dicta Bulla Pij V. & declaratione S. Congregationis super eodem Concilio dicentibus, collationē Parochialis factam sine examine per concursum esse nullam. Riccius *in pract. Eccl. concursus decis. 427. n. 1.*

49 Sed contrariū verius est, collationē nullam non reddi ex omisio edicti regulariter, sed ibi tantū, vbi Concil. provinciale, id statuerit, vt fecerunt Concil. provinciale Toletanū *act. 2. decreto 2. 4.* & Concil. Compostellanū celebratū anno 1566. *act. 2. decreto 3. nā prædictū Cōc. Trid. d. c. 18.* id præcisē nō inducit; sed relinquit arbitrio Episcopi, vel Synodi provincialis, vt apparet *ex vers. & si Episcopo, & c. & respōdit etiā in terminis S. Cōgregatio, super eodē Trid. decreto d. vers. Episcopo faciendū, & c. his verbis:* Cōgregatio cōsueuit faciendū examē per cōcursū, quoties cōtigerit, vacare Parochialē Ecclesiā, nec ideo à decretis Cōc. Trid. recedendū erit, quod fixa & tumultus

orientur, & alia forsan peiora sequatur. quod verò ad propositionem edicti publici attinet, hoc totum positū esse arbitrio ipsius Episcopi, faciat, necne, nisi provincialis Synodus aliquid circa hoc præcisē statuerit, quod obseruādū erit.) & iterū ibidē alia ita declarat: Cōgregatio Cōcilij censuit; propositionē edictorum publicorū relicta esse arbitrio Episcopi, vel Synodi provincialis, & c. nos infra n. 176.

Et ita hanc partē tenent Nau. *conf. 4. de præbēdis.* Nicol. Garc. *in tract. de benef. 2. tomo 9. p. c. 2. n. 35. & seqq.* nec obstat Cōgregatio Cōcilij adducta per Zerolā, & Cechū; quoniā ipsi in inductione fallūt, quia dūtaxat disponit in cōcursu faciendū præcisē: non enim sequitur: cōcursus est faciendus, ergo edictū proponendū præcisē. quoniā diuersa hæc sunt, vt cōstat ex supra adducta Congregationis declaratione, & ex Trid. quibus nō esse necessariū, & præcisum; disponitur. & ideo illatio corū Doctorū nō admittēda, tanquā facta à separatis. *l. Papianus. de minorib.* quid in iure patr. vide Ricciū *in praxi iud. decis. 160.* contrariū tenentē post alios quos citat plures nos infra n. 79.

50 Rursus quæro, supposito illo, quod edictū proponendū esset cū termino decē dierū nec vltra alios decem quæto prorogari, ex d. Trid. decreto 18. & Bulla Pij V. *vers. prouidemus.* Zerola *in praxi Episcop. d. verbo Parochia §. 2. dub. 3.* & Cechus *d. c. 28. de Parocho, sub n. 6.* & ita ex Cōcil. provinc. Compostellano vbi supra statuitur, quod Episcopi intra 15. dies à tempore notitiæ vacationis per publicū, & necessariū edictū conuocēt omnes, quotquot voluerint examinari, quod in valis Ecclesiæ beneficij, & vbi aliās Episcopo visū fuerit: per 20. dies, vt minimū præfigatur, sub censuris & penis cōtra eos, qui tale edictū, aut tollere, vel deletere, ausi fuerint. & hic terminus currit, ex quo tā in valis Ecclesiæ Cathedr. quam Ecclesiæ beneficij præfixū est, iuxta d. Compostellanū decretū, & sic expectādum erit, quod labatur terminus, ex quo vltimo præfixū est. latē etiā Ricc. *in pract. Eccl. concursus decis. 427. n. 2. & 3.* vbi quod ad prorogationem requiritur causa.

51 An igitur proposito edicto cū maiori termino 20. dierū vitietur prouisio Parochialis, an tantūm erit nullum edictū respectu excessus: Et respōdetur, quod nō vitietur prouisio. enim verò licet faciat hoc Episcopus contra prohibitionē Concilij, & dictæ cōstitutionis, assignando maiorem terminum: nō tamen id pertinet ad formam necessariam prouisionis, sicut nec deputatio Vicarij, vt statim dicemus. sed solum ex æquitate, & mēte Pōtificis edictū dicitur nullum, quātum ad excessum termini, siue à principio cum eodem excessu præfigatur, siue postea prorogetur, ac ideo quod se opposuerint post 20. dies, terminū iuris intra terminū excessuum seu prorogatum

non erunt legitimi oppositores, nec ad concursum admittendi. Ita dicit Nicol. Garcia *de benef. d. 2. tom. 9. p. c. 2. n. 46. & seqq.* ex qua deputatione nullum damnū, nullique oritur præiudicium. sed foret multum maius, si prouisio irritaretur, in maximum Parochialis Ecclesiæ, & animarum periculum ex dilatione. sed si aliquid damnū oritur oppositoribus, intra legitimum terminū succurritur eisdem, excludendo postmodum oppositos in termino excessiuo, quo satisfit principali sacrarum constitutionum intentioni.

52 Quid autem de conuersione, quando edictum minori termino decem dierum appositum est; an prouisio nulla dicatur: Et affirmatiuē respondeo, ex d. Trid. & Bullæ decretis, tum etiam, quia terminus à lege inductus, abbreviari, & minui, non debet à iudice. Philipp. Franch. *in c. cum sit Romana n. 7. & seq. de appellat. Lanfran. decis. 475. Mynsinger singul. obser. cent. 2. decis. 68.* incipit, decem dierum, & iterum cent. 3. decis. 11. incipit non solum. Astinuz *in praxi iud. §. 2. n. 9. in princ.* nam in iis, quæ à iure iud. determinata, & limitata, non licet arbitrari. vt optimē latē per Thomam Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 16. n. 4.*

53 Et facit, quia in edicto debet competens terminus assignari ad comparandum, aliās si vel petens collationem, nimis breuem edicti terminum procurauerit, ne deueniat ad pluriūm notitiam; institutionem irritam esse; probant Innocent. & Abb. *in cap. cum olim. de caus. poss. & propriet. Ripa in c. cum M. Ferrariens. n. 10. de constitutionib. Marcus Anton. Cuch. lib. 4. in str. maiorum tit. 4. n. 41.* Sequitur noster Perez de Lara *in tract. de anni. & Capell. lib. 2. c. 10. n. 44. & seqq.* vbi inuehit in Prelatos, qui edicta beneficiorum, maximē Parochialium breui tēpore claudunt, forsan dum cupiunt, aliquibus beneficia conferre, cum ex hac nimia festinatione formæ iuris nō satisfaciant, imò eius intentioni directē cōtraueniāt contra text. *in l. tutor qui repertorium §. tutor.* ibi, debuit enim partibus suis fungi, nō quidem præcipiti festinatione.) & ita vidi declaratum in hoc almo tribunali supremo, appellationi esse deferēdum hac de causa. quoniam processum fuit ad prouisionem cuiusdam beneficij curati, proposito edicto cum termino 6. dierum, quia cum prouisio nulla fuerit, & irrita, executionem, & effectum non merebatur, ac propterea iuste fuit declarata delatio, & repositio.

54 Sed quid dicendū, an examen, & concursus factus ante lapsum terminum edictorum sit nullus: In quo respondetur affirmatiuē, vt optimē disputat, & resoluit plures decisiones Rotæ Garcia *de benef. hinc inde adducens, in 9. p. c. 2. n. 326. cum pluribus seqq.* quia factus cōtra formam Concilij *d. c. 18. vers. Salgado de protect. Reg. Tom. 11.*

transacto. ibi, transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint, examinatur, & c. & cum loquatur per ablatiuū absolutum, conditionalem dispositionem reddit, *l. a testatore ff. de conditio. & demonstr.* & sic irrita erit, ne per præuentionem vnus, alij supplantentur, secus si postea alius non comparat. Riccius *in pract. concursus decis. 423. in fi.*

55 Defuper notandum erit, quod ex dicto Tridentini decreto inductum est, pro forma; vt examen Parochialis vacantis debeat fieri 66 cum examinatorebus saltem tribus, vt cōstat ex eiusdē Concilij decreto, *ibi, non paucioribus, quàm tribus.* notat Petrus Ledesma *2. p. summa tract. 7. c. 1. concl. 7.* circa decimam tertiam difficultatem, & declarat S. Congregatio super eodem capite 18. Trid. super illis verbis: (tres ex illis eligat Episcopus.) ita ait: Statuit præcisē, vt examinatores sint tres, sed quod nō possint, esse pauciores tribus, vt supra dicitur, ita quod si tres sunt tantum examinatores; vota nō possunt esse paria; sed singularia, quando singuli singula approbant.)

56 Cui & illud est proximum, quod cum ex dicto decreto Tridentini c. 18. sit dispositum, examinatores singulis annis in diocæsana Synodo ab Episcopo, vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur, aduenientēque vacatione cuiuslibet Ecclesiæ tres ex illis eligat Episcopus, qui cū eo examen perficiant, indēque succedente alia vacatione, aut eodē, aut alios tres, quos maluerit ex prædictis illis sex, eligat, tenet etiam Ledesma *vbi proxime.* qui deputandi sunt in Synodo vera, & 67 formali, quæ est Cōgregatio legitima, quam facit Episcopus cum clericis, sibi subditis in sua diocesi, ad tractandum de iis, quæ curæ pastorali incumbunt, & de expectantibus ad reformationem, & bonum regimen Episcopatus, vt per Boteum *de Synodo 1. p. num. 5. & iterum 3. p. in prin. per totum.* Vnde conuenit, quod si pauciores, quàm sex; puta: quatuor, vel quinque examinatores in Synodo deputentur, non erit legitima deputatio, & consequenter examen, & concursus cū illis electus factus, erit nullus, tanquam factus cōtra formam Concil. Trid. vt affirmat Nicol. Garcia *de benef. 2. tom. 9. p. c. 2. n. 66.* Vbi testatur, ita fuisse tentum per Rotā in vna Forosemprensiens. Parochialis 15. Ianuarij à n. 1593. quam etiam ad literam refert inferius n. 133.

58 Et quidem est valde notandum, quod ab ipso Garcia *in eodem c. 2. a. n. 66. cum seqq.* probatur, quod si ex dictis sex examinatorebus, aliqui intra annum mortui fuerint, vel absentes, tota facultas examinandi spectabit ad superstitēs, etiam si vnus tantum superstitēs, vnā cum Episcopo, vel Vicario, cum Synodus nisi singulis annis congregari nō possit,



ex Trident. *sess. 24. de reform. c. 2.* & si omnes mortui fuerint intra annum, vel absentes, 71 Episcopus examinaturibus antiquis Synodalibus (si fuerint) subrogabit alios non pauciores numero sex, & si non extiterint, tot 72 examinatores antiqui, qui ad hunc numerum accedat, tunc Episcopus eligat illos qui fuerint, ac alios suppleat denuo vsque ad numerum, approbatos tamen à Capitulo. Verum 73 si nulli antiqui Synodales examinatores supersitit fuerint, tunc Episcopus omnes novos examinatores probitate ac scientia idoneos cum approbatione Capituli, non pauciores prædicto numero, substituatur, prout anno 1593. responsum fuit per sanctam Congregationem Cardin. proponente parte Episcopi Ciuitatis, cuius declarationem literaliter refert ipse Garcia ibi n. 72. de quo latè per Marecot. *variæ. resol. lib. 1. c. 32.* Aloyf. Riccius in *pract. Eccles. concursus decis. 420. per totam.*

74 Et quidem meritò, quoniam ubi forma præcisè seruari non potest, sufficit actum facere per æquipollens, & eo modo quo possit, Aymon *conf. 12. n. 2.* & *conf. 177. n. 5.* cum aliis infinitis congestis per Tiraquel. *de legib. communal. gl. 6. n. 632.* & 69. Flamin. *Parif. de resign. benef. lib. 7. q. 5. n. 19.* Romanus *conf. 433. n. 5.* Roland. à Valle *conf. 81. n. 25.* & *seqq. lib. 1. & confil. 30. n. 3. lib. 5.* Alciatus in *l. 1. n. 41. de liberis & postib. nam Concilium loquitur cum præsupposito, quòd examinatores Synodales existant, ergo cessante hoc præsupposito, cessat eius dispositio, vt uorat. in l. mancipia C. de seruis fugit. & ibi gl. & Fulgof. & Salicet. n. 3. Decius *conf. 101. n. 2.* Ruin. *conf. 55. in fin. lib. 3. & c. 83. n. 5. lib. 5.* Socin. *junior conf. 154. n. 22. lib. 3.* & quia quando cõstitutio inducit nouam formam, & illa de facto non potest obseruari, veluti quia non adfunt personæ, vel qualitates requisitæ, sufficit, quòd actus fiat eo modo, quo prius fieri poterat, *cap. quia propter.* & ibi Abb. post Ioannem And. in *conf. 25. n. 12. lib. 2.* & in *conf. 1. n. 11. de electione.* Aymon. *conf. 12. n. 2. cum seqq.* quam rationem sequuntur Riccius & Marefcotus *ubi proximè.**

76 Et ex his apparet, quòd cum ipsi examinatores ex Concil. & motu proprio Pij V. sint approbandi scientia, moribus, & vita, eorum deputatio debeat fieri nominatim, & de personis certis, nõ autem in genere: puta: Prior, seu lectores talis monasterij, Canonicus Doctoralis, vel Magistralis, ac Pœnitentiarius, ita vt non comprehendantur etiam successores, tanquam personæ incertæ, in quibus non potest cadere approbatio à Conc. Trid. & motu proprio, vt contra Ledesmam in *summa 2. p. tract. 7. c. 1. conclus. 7.* circa tertiam difficultatem, optimè resoluit Nicol. Garcia

*ubi num. 333. cum seqq.* & nota, quia iam de facto dubitari uidi. & de pluribus quaestio- nibus super ipsis examinaturibus, uide eundem ibi à n. 52. *cum multis sequentibus.*

Hinc est, quòd examen & approbatio in 77 concursu requiritur necessariò pro forma ad prouisionem Parochialis Ecclesie, vt constat ex d. Trid. & Bulla Pij V. *ibi*, præsertim in examine per cõcursum faciendo, & c. & decreuit sancta Congregatio super illis uerbis, (Episcopo faciendo, & c.) Cõcilij Trid. *d. c. 18.* superius adducta n. 50. & iterum per ipsam Congregatio. super illis uerbis (subreptitiæ esse censentur) ita: Examen omiffum in Parochialibus per concursum uitiat collationes, & prouisiones Parochialium Ecclesiarum factas post publicationem Cõcil. Trid. ab ordinariis absque examine per cõcursum nullas, sed prædictæ Parochiales ita collatæ vacant, & c. etiam oppositori quantumcum- 78 que, & etiam notoriè docto non potest Episcopus beneficium hoc conferre, sed tenetur omnimodò formã concursus seruare, quem is oppositor omnimodò subite tenetur, Fuscus in *tract. de uisitatione lib. 2. c. 5. n. 10.* Cened. in *collecta 15. ad decretum num. 5.* Flamin. *Parif. de resign. lib. 8. q. 9. à n. 83.* Zerola in *praxi Episc. uerbo Doctor §. 1. 2. p. Marcus Anton. Genuensis in praxi Archiepisc. Curie Neapolita. c. 65. n. 1. ad fi. Prosper. de August. in additio. ad summam Bullarj 40. uerbo, Parochialium beneficiorum collatio. q. 1. & Lessius de iust. & de iure lib. 2. c. 34. n. 82. Gonzal. in *regul. de mens. gl. 4. à n. 90.* nonnullos citat Riccius in *pract. Eccles. concursus decis. 414. à princ.**

Cæterum & ex d. Tridentini decreto 18. 79 *uers. peracto deinde*, & c. requiri præcisè pro forma, vt examinatores renuntient, quotquot idonei reperti fuerint, vt sancta Congregatio super *d. c. 18.* censuit ita: Examinatores peracto examine debent eos ex communi sententia renuntiare Episcopo, quotquot idoneos repererint, & an hæc renuntiatio debeat esse palam, seu secretè, & de aliis huius declarationibus uide latè per Nicolaum Garcia *ubi supra n. 104. & seqq.*

Ea autem, quæ supra diximus, concursum 80 ad Parochiales esse, de forma, & substantia prouisionis intelligenda sunt, etiam in Parochialibus iuris patronatus Ecclesiastici. nõ in iis patronus presentare nõ potest aliũ, quàm unũ, ex eis, qui proposito edito se opposuerint, fuerint examinati, & ab examinaturibus approbati, iuxta dictũ Trid. *de decretum c. 18. sess. 24. de reform. ibi.* Si uero iuris patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non ad aliũ pertineat, is, quem patronatu digniorè inter probatos ab examinaturibus iudicabit; Episcopo presentare teneatur, ab eo instituat; cum uero institutio ab alio

quàm

quàm ab Episcopo erit facienda; tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præferat, ad quem institutio spectet, & c. ac ideo ad differentiam iuris patro. laicorum, de quo protinus, & uide Riccius in *pract. Eccles. concursus ad paroch. decis. 414. ad fin.*

81 Et ex hoc sequitur, quòd cum hæc sit forma à Tridentino tradita; non transgredien- da, sed specificè seruanda: vt patronus Ecclesiasticus ex approbatis per concursum, unum presentet instituenti; si aliquem presentauerit, antequam sit ita ab exami- 82 natoribus approbatus in concursu, presentatio erit nulla, nec eius uirtute facienda erit institutio ab Episcopo, tanquam minus legitime facta, nisi denuo iterum expressè vel tacitè fuerit presentatus, postquam ipse sit intra terminum edictorum, seu re integra, oppositus, & inter ceteros descriptus, & inter dignos approbatus. Imò institutio aliter 83 facta, irrita erit. quia quando institutio, seu collatio facienda est, certo generi personarum, vel ex certi generis personis, quibus aliqua qualitas requiritur, siue iure, siue fundatione, vel alio quouis modo aliis facta, quàm eisdem qualificatis, & eiusdem generis, erit nulla prouiso ipso iure. vt puta, quando presentari, aut conferri debeat beneficium naturalibus alicuius loci, seu clericis, & portionariis certæ Ecclesie, vel filiis patrimonialibus, vel consanguineis fundatoris, quia aliis facta irritatur, & est inualida presentatio, ita expressè dicunt Cardin. *conf. 48.* Ioan. Gutierrez. *conf. 2. num. 3.* Aymon. *conf. 63. num. 5.* Didacus Perez in *l. 1. tit. 6. lib. 1. ordina. uers. quod adeo procedit.* Azueed. in *l. 14. tit. 3. num. 13.* Cened. in *collectaneis ad decretal.*

84 89 Nicol. Garcia de *benef. 2. tom. 7. p. cap. 15. num. 6.* & *suprà*, quoniam harum qualitarum appositio, cum sit forma ipsius prouisionis, omnimodò seruanda est in prouisione, ita Rochus de Curte *de iure patro. uerbo honorificum quest. 18. ad fin.* Lamber. *de iure p. 3. p. 2. lib. quest. 5. art. 4. num. 8.* & 11. Couart. in *regul. peccatum 2. p. §. 7. num. 5.* Gutti. *Canon. quest. lib. 2. c. 1. n. 37.* Oieda de *benef. incompat. c. 23. num. 132.* & *c. 24. à num. 107.* Perez de Lara *de anni. & capell. lib. 2. cap. 2. à num. 1.* Azor in *stitu. moral. 2. p. lib. 6. c. 4. q. 2.* quos de materia require.

85 Deinde quia quando collatio, seu presentatio facienda est certæ personæ, seu certo generi personarum, tunc dicitur necessaria. Rebuffus in *praxi tit. de collatione num. 1.* Petrus Gregor. *de benef. cap. 39. num. 3.* Puteus *decis. 100. num. 3. lib. 3. & decis. 235. lib. 2.*

86 Deinde cum Concilium Tridentinum prouiderit illam certam formam inducat, præ- Salgado de *protect. Reg. Tom. 11.*

cisè, & specificè seruanda est, *c. cum dilecta ubi latè Feli. de rescript. c. si cui den. sacerdotali de prebendis. lib. 6. Parif. conf. 12. num. 47. & conf. 15. num. 23. uolu. 2.* Rota *decis. 13. num. 2. de conef. preben. in nouis.* & *decis. 8. de dolo & contuma. in nouis.* ita quod si in minimo deficiat forma, nihil actum dicitur, & totus actus corrui, latè Feli. *ubi proximè num. 10.* Moheda. *decis. 17. num. 1. de causa poss. & propri. Decius conf. 532. num. 4. & 5.* Tiraquel. *de retract. conuentio. §. 4. gl. 6. num. 31. cum seqq.* Caputaq. *decis. 250. 1. p. & decis. 143. num. 5. p. 3.* Mando. in *regul. 27. quest. 20. à n. 16. cum seqq.*

Ac ideo presentatio omnimodò requiritur, vt fiat post concursum, cum ex approbatis vnus est presentandus, quia qualitas adiecta uerbo, vel participio, debet intelligi secundum tempus uerbi, vel participij, *l. in dilectis §. extraneus, ff. de uxori. l. ex factu ff. de uulgar. & pupi. c. si eo tempore de rescript. lib. 6. & Lapus Abb. in c. si à sede, de prebend. lib. 6. uers. nunc cum agitur, quem refert Castiada. *decis. 15. ante num. 1. de prebend. Mohedan. decis. 23. num. 1.* Simoneta de *reforma. quest. 54. num. 2.* Rota *decis. 70. n. 13. p. 1. diuer. Gutierrez. conf. 1. n. 13.* Azueed. in *l. 1. n. 82. tit. 5. lib. 6. recopi.* Et quia Concilium Tridentinum uirtut uerbis præteriti tēporis ibi (inter probatos ab examinaturibus) quare uerba præteriti temporis præcisè requirunt consummationem, & perfectionem actus. Bart. in *l. hoc articulo num. 2. de hered. insti. Bal. in l. si. n. 14. C. de sententijs quæ sine cert. Marfil in *conf. 103. num. 26.* Castaneus in *consuetud. Burg. rubr. 1. §. 5. num. 123.* Gratia in *discip. foren. 2. p. c. 372. num. 19.* faciunt quæ latè Mascard. de *proba. 2. tomo conel. 834. num. 28. & supra.* ubi multos citat in proposito.**

Nec hæc qualitas, quæ à principio requiritur, sufficit, si postea sequatur, *l. si quis mihi, ff. de acquir. hered. l. fratres ff. de penis. gl. in clem. ut hi, uerbo constitutus, de etate & qualis.* Decius post alios in *c. post cessionem de probatio. Flami. Parif. de res. lib. 4. quest. 1. n. 14.* Aymon. *de antiqui. tempo. 1. sess. §. uidimus.* & latè n. 33. Raudenf. *conf. 11. num. 36.* & probant supra dicti Doctores, & sic sequitur, vt institutio uirtute præambule presentationis & ante concursum, ac approbationem sit nulla, tanquam facta contra formam, & non debita seruata qualitate, nec debito tempore, nisi postmodum alia de nouo subsequatur presentatio, vel illius si fuit oppositor, & approbatus, vel etiam alterius ex approbatis, & examinatis iuxta tenorem *d. cap. 18.* & ea quæ notantur in *l. boues §. hoc ff. de uerborum signif.*

Et quod ex eo iterum clariùs redditur, 90 nam instrumentum productum ante litis contestationem, cum eo tempore non pos-

i 3 sunt



sunt fieri probationes, vt habetur rubro, & nigro, vt lite non contestata, &c. non probat, nisi postmodum tempore probatorio iterum producantur. ita singulariter tradunt Marfil. in singu. 170. incipit animaduertant. Federi. de Senis conf. 160. Butriga. in c. cum dilectus §. nos igitur colu. ult. de ord. cognit. Feli. in c. causam que colu. 2. post num. 6. de testibus. & in c. 1. col. penul. sub num. 2. 8. de proba. Accursius in l. qua omnia in l. 1. ff. de procurat. Bar. in l. mutui in prin. eodem tit. Bald. in l. ait pretor. in prin. vers. circa secundum ff. de iureiur. late prosecuitur post alios Malcar. de proba. tomo 2. concl. 92. 3. per totam.

91 Et comprobatur, nam appellatio à procuratore interposita tempore, quo carebat mandato, non sustinetur, etiam postmodum illud habeat sufficiens, nisi denuo alia interponatur, si sit intra terminum, secundum communem opinionem, quam secuta est Rota, vt per Achil. de Grassis decis. 10. alias 236. appellatio procurator. de appellati. fol. 108. Lancelot. de attentat. 2. p. cap. 12. limi. 50. n. 2. 1. & 2. 2. Elcacia de appella. quest. 5. à num. 27. dicentes, quod propterea talis appellatio non causaret attentata, reddentes rationem: quia personæ habilitas requisita tempore actus, non sufficit, quod interueniat post actum. Elcacia lib. 1. caus. ciuil. & crimi. cap. 101. num. 32. in fi.

93 Et ista noua à patrono presentatio, non solum potest fieri expressè, sed etiam tacitè, vt puta, si patronus intra tempus aliquem actum fecerit, per quem tacitè inducatur alia noua presentatio, illius, quem antea presentauerat. iuxta mirabilem Rotæ Rom. decisionem iuris patrona. de anno 1588. coram Blanqueto, vt testatur (aliud agens) Garcia de benef. 11. p. cap. 3. num. 17. vbi determinauit, quod licet, resignatio facta absque patroni consensu sit nulla, tamen presentatio facta à patrono ea de causa non valet, quia non abdicatur ius à resignante possessore. at eo mortuo, patronus continuans litem cum resignatorio, petens vt instituat ille à se presentatus, hæc prosecutio litis æquipollet nouæ presentationi factæ in tempore, adeo vt excludat deuolutionem.

Corroboratur etiam ex eo, quod dicit Salcedo, in addit. ad Bernard. Diaz. c. 21. de illiteratis sub littera G. in fi. quod licet collatio beneficii illiterato facta, sit nulla, si tamen postea literas ille addiscat, & is, qui contulit sciens, non penituit, intelligitur de nouo tacitè conferre, & pristina collatio noua quadam collatione reuincit, ex his quæ late Feli. in c. cum ex officio, num. 36. de prescrip. Sequitur Gonzal. de alternati. gl. 14. num. 46.

96 Hinc traditio possessionis beneficii facta

ab habente potestatem conferendi, per necessarium antecedens inducit tacitam, & virtuale collationem. Puteus decis. 120. & decis. 125. lib. 5. Aquil. decis. 4. de prebend. Couar. lib. 3. variat. cap. 16. num. 10. Caputaq. decis. 81. num. 5. p. 1. & Rebuf. plures similes adducens casus de pacifico possesso. num. 12. vsque ad 18. plenè Selua de benef. 3. p. q. 10. in prin. & num. 2. 4. Rot. decis. 987. lib. 3. p. 3. diuers. Gonzal. vbi proximè à num. 45. & supra, & gl. 5. in prin. num. 54. docentes, quod collatio 97 aut presentatio potest fieri non solum expressè, sed etiam tacitè per aliquos actus. Garcia de benef. 11. p. c. 3. n. 17. vbi de tacita presentatione, Marefcot. late variat. resolutio. lib. 2. c. 33. à n. 2. 1. & supra à prin. Alia etiam circa hanc questionem videnda sunt infra 6. p. c. 18.

Redeundo igitur ad nostrum propositum, 98 à quo lapsi egredimur, vt scilicet concursus necessarius requiratur pro forma in parochialibus iuris patro. Ecclesiastici, adeo procedit, vt quemadmodum in mercè collatiuis, etiam referuatis suæ Sanctitati, & in eius mensibus vacantibus, vel aliis referuatis, seu affectis illi possit facere in partibus, & in sua diocesi quilibet ordinarius, non obstantibus regulis referuatoriis, vt expressè disponit idem Concilium Trident. d. 18. c. sess. 2. 4. de reform. ibi, etiam si ipsa parochialis Ecclesia referuata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, &c. & idem etiam disponit d. motus proprius Pij V. tenet Zerola, verbo parochia. §. 2. dub. 4. & 10. ac ita declarauit sacra Concilij congregatio, quam declarationem ad propositum refert Flami. Paris. de resign. benef. lib. 8. quest. 9. num. 103. & ad litteram etiam refert Hiero. Gonzal. in regul. de men. gl. 6. num. 112. aliam etiam declarationem fecit ad idem eadem Sancta Congregatio, quam refert ad litteram Anast. Germino. de indul. Card. §. quibusvis num. 17. Flami. Paris. supra lib. 10. quest. 7. n. 12. eius etiam meminit Nicolaus Garcia de ben. 9. p. cap. 2. num. 154. hoc etiam sequitur Cech. de republ. cap. 22. de parochia num. 6. Marcus Anto. Genuens. in practi. Archiep. cap. 65. num. 1. Riccius statim citandus. Marefcot. lib. 1. variat. resolutio. cap. 2.

Pariter & eodem modo, in parochialibus 99 iuris patronatus Ecclesiastici, vacantibus in mensibus referuatis suæ sanctitati, concursus faciendus est spreto patrono, vt declarauit Sancta Congregatio super predicti Tridentino, (cuius non meminere predicti Doctores) super illis verbis (quem patronus digniorem, &c.) in sequentibus: Congregatio censuit, si institutio ad parochiales Ecclesias, quæ iuris patronatus Ecclesiæ sint, fi-

ciend

cienda erit à summo Pontifice, quia fortè in mensibus referuatis vacauerit, ius eligendi digniorem ad solum Episcopum pertinet, qui transmittere debet attestationem examinis facti per concursum, quorquor in eo fuerint approbati, & quem ex approbatis vt digniorem, cui sanctitas sua gratiam faciat, nominare, & iterum eadem sacra Congregatio super eodem verificulo Trid. in his verbis: Si beneficium curatum iuris patronatus Ecclesiæ in mensibus Apostolicae fedi referuatis vacauerit; Episcopus ipse ordinarius, nulla habita ratione patronorum; debet edita concursus proponere, idoneum eligere, à Romam mittere cum fide ordinarij à summo Pontifice instituendum, sicut fit in alijs curatis, quæ non sunt de iure patronatus. Riccius in praxi Eccles. concurs. decis. 414. vers. fi.

100 Nam certissimum est, in ius patronatus Ecclesiasticum (quod illud est quando ex bonis Ecclesiæ beneficium fundatur, seu datur, aut à laico donatur Ecclesiæ, aut ratione Ecclesiæ competit alicui, iuxta gl. in Clem. 2. verbo presentare de iure patro. gl. verbo in concl. in c. dilectus 6. de off. delega. vbi omnes. text. in cap. 1. de iure patro. lib. 6. Rochus de Curte de iure patro. verbo ius. quest. 7. Rebuf. de nomina. quest. 8. n. 2. 2. Lambert. de iure patro. lib. 1. quest. 1. art. 5. per totum. Couar. in pract. quest. cap. 36. num. 5. vers. 2. Flami. Paris. de resignat. lib. 2. quest. 4. à num. 39.) referuationem ex regul. de mens. sicut aliam quamli-

101 bet intrare non est dubium, quia facile huic iuri patro. preinducatur, c. cum dilectus de iure patro. c. dilectus & ibi Abb. de off. delega. late Oieda de beneficiis. incompat. 1. p. cap. 2. 4. n. 12. Mandosin Regul. 1. quest. 8. num. 5. Cassador. decis. 4. num. 2. de iure patro. Cou. d. cap. 36. num. 5. late Hierony. Gonzal. in regul. de men. gl. 18. num. 5. & seqq. qui num. 7. dicit quod per solum simplicem collationem factam à Papa,

102 censetur derogatum iuri patro. clericorum absque alia derogatione, Cassador. decis. 4. num. 11. de probationibus si num. fi. de iure patro. quod secus est in iure patro. laicorum, quod sub nulla referuatione comprehenditur, vt late per Gonzal. d. gl. 18. à prin.

103 Et obiter aduertens, quod in his beneficijs referuatis approbatus, & electus per concursum ordinarij tenetur pro obtinenda collatione à sede Apostolica fidem approbationis mittere, ac rationem concursus manu Episcopi, seu eius Vicarij subscriptam intra quatuor menses, vt constat ex motu proprio Pij V. quæ currunt à die habitæ notitiæ variationis, vt late per Gonzal. vbi supra d. gl. 6. num. 13. cum seqq. & quæ addunt Garcia vbi supra num. 8. in 10. §. declarationis sanctæ Con-

gregationis ibi adductæ. & si non seruatur forma tradita à Concilio Trident. in huiusmodi 104 parochialium prouisione vacantium in mensibus referuatis, impetrari potest à sede Apostolica, & impetranti concedi solet breue rigorosum de capienda possessione nomine Camere, vt per Gonzal. vbi proximè numeris sequentibus, & superius à num. 116.

At in iure patronatus laicorum alia forma 105 descripta est per Concilium, & dictum motum proprium, vt in vacatione talis beneficii absque concursu prouisio fit, cum postquam editum propositum est, intra tempus à iure concessum, presentat patronus aliquem clericum, isque simpliciter (nullo alio admisso) examinandus est ab examinatorebus synodalibus, cui, si idoneus reperitur, institutio facienda est ab Episcopo, vt disponit d. Concil. Trident. d. c. 18. sess. 24. de reformatione. vers. quod si ius patronatus, &c. in hæc: Quod si ius patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono presentatus erit, ab eisdem deputatis, vt supra, examinari, & non nisi idoneus fuerit, admitti, &c. & censuit etiam sancta Congregatio Cardina. super d. Conc. vers. quod si ius patronatus laicorum, &c. in his verbis: Speciale est in iure patronatus laicorum, vt non requiratur concursus in collatione Ecclesiæ parochialis, & iterum eadem congregatio sacra super eodem vers. ita ait: Examen per concursum fieri, non debet in vacatione parochialium, quæ sunt iuris patronatus laicorum, sed sufficit, quod deputatus à patronis examinetur ab examinatorebus, in diocesana Synodo deputatis, & idoneus iudicetur, prout statuit hic Concilium Tridentinum, §. quod si ius patronatus, &c. tradunt Flami. Paris. de resign. benef. lib. 8. quest. 9. num. 111. Zerola verb. parochia §. 2. 7. dub. Cechus de republ. c. 28. de parochia n. 6. Marcus Anton. Genuens. in praxi Archiep. c. 65. num. 2. Gonzal. in regul. de men. gloss. 6. num. 134. Lessius lib. 2. cap. 34. num. 58. & 81. Nicol. Garcia de benef. 2. tom. 9. p. c. 2. §. 2. num. 255. Aloyss. Riccius in pract. Eccles. concurs. ad paroch. decis. 416. à num. 1. & seqq. vbi quatuor 106 modis limitat, Rota per Ludouicium decis. 494. à num. 1.

Sed succedit statim difficultas, an in pa- 107 rochialibus iuris patronatus mixti laicorum, & clericorum concursus necessarius sit cui quidem pluries prouidit sancta Congregatio Concilij super d. cap. 18. super d. vers. quod si ius patronatus. vt concursus sit necessarius, quemadmodum in alijs iuris patronatus omnino clericorum, & in hæc: Quæ si iuris patronatus partim Ecclesiastici, partim laici, seruanda est forma examinis per concursum hic posita, quam Concilium 108 præstitit



- præstitit in conferenda parochiali, quæ sit iuris patronatus merè Ecclesiastici, idem dicendum est quando patronatus ex duabus partibus pertinet ad laicum, & pro vna tantum ad Ecclesiasticum.) & super eodẽ Concilio superius *super vers. iuris patronatus*, &c. pariter Congregatio celsit his verbis: Idem in collatione, & institutione iuris patronatus mixti; scilicet: partim laici, partim Ecclesiastici. Sed tunc factò concursu in parochialibus mixti patronatus electum præsentat, & ab ordinario institutio faciendi.) notat Gonzales *ubi proxime num. 135. & 136. & Garcia à num. 276. Riccius supr. decis. 414. ad fi. & 416. num. 3.*
- 110 Et est ratio, scilicet; fauor Ecclesiæ, cuius est proprium interesse, vt maturius, meliusque illis prouideatur, prout fit dato concursu, ac ideo qualitas attenditur quæ Ecclesiæ prodest; vt dicit Garcia, *ibi num. 279. secundum Felinum in tract. quando litera Apostolica. concl. 6. Lamberti. 1. p. lib. 1. quest. 1. a. 6.* quia
- 111 tunc ius patro. Ecclesiasticum tanquam dignius trahit ad se laicale minus dignum, & pars clericis trahit ad se partem laici, *cap. per uas. cap. contingit. de arbitris. c. 2. de consecratione Ecclesiæ, vel altaris.* at quando non adest aliquis Ecclesiæ fauor, sed ipsius patroni, tunc qualitas laicalis præualet Ecclesiastica, neque laicus propter clericum, & eius societatem nimium præiudiciũ patiatur, nec suum
- 113 perdat priuilegium. hoc enim æquum est; vt in re indiuidua societas aliis non præiudicet. notant Garcia, *suprà n. 284. & Gonzal. gl. 18. num. 12. & ideo tale ius patro. mixtum non cadit sub generalibus reservationibus secundum Gemi. in c. unico. in final. verbis, de iure patro. lib. 6. Feli. in c. multorum num. 3. vers. & ideo singulariter. de iudicis. Ab. in c. dilectus num. 5. de off. delegati. Cassiada decis. si. ante fi. num. 11. de præbend. & decis. 7. de iure patro. Selua de benef. 3. p. quest. 11. num. 11. Rochus de Curte de iure patro. verbo, ius. in 1. quest. accessoria. 7. quest. prin. num. 23. Lamberti de iure patro. 3. p. lib. 2. quest. 9. a. 9. in fi. Rebut. in tract. de nominatio. quest. 15. num. 7. Couar. in pract. quest. cap. 36. sub num. 5. vers. tertio opportunè. Mandos. in regula 1. cancella. quest. 8. num. 6. Oieda de benef. incompati. 1. p. cap. 24. n. 114. Grassis decis. 3. per totam de iure patro. Puteus decis. 157. per totam lib. 3. Crescentius decis. 3. de iure patro. Verallus decis. 405. lib. 1. & Garcia, & Gonzal. *suprà*, vide num. 127.*
- 115 Et respectu derogationis videndus Feli. in tract. quando litera Apostolica amplia. 6. & limi. 3. Rochus de Curte de iure patro. verbo ius. num. 15. Lamberti. 3. p. 2. lib. quest. 9. art. 9. Couarr. practicarum questio. d. cap. 36. sub dicto num. 5.
- Pro qua resolutione & illud facit, quòd in 11 parochialibus vnitis cum aliqua dignitate æquè principaliter concursus in eiusdem dignitatis prouisione, omnimodo necessarius est, vt bene infert Nicolaus Garcia de benef. 9. p. cap. 2. num. 194. ex declaratione sanctæ Congregationis dicentis: Examen concursus non est necessarium in dignitate, quæ parochialem perpetuò, & accessoriè vnitam habet.) refert Anaſta. Germe. de indul. Cardi. §. quibusuis num. 7. & 8. Lessius de republ. c. 34. num. 8. Gonzal. gl. 5. §. 7. n. 13. & gl. 6. n. 162. quoniam vnio facta æquè principaliter nihil nouiter operatur, sed vtrumque beneficium manet beneficium sicut erat, & quælibet Ecclesià in suo statu, & honore remanet, & proprios redditus agnoscit, gaudetque suis priuilegiis. sed illud solum operatur; vt vnus sit Rector vtriusque, gl. in c. & temporis 16. quest. 1. & gl. in cap. 1. ne sede vacante. gl. in Clem. per literas. de præbend. & ibi quest. 17. Cardi. Imol. à num. 15. Ab. num. 5. Bonifa. à num. 20. Caccialupus art. 2. num. 2. & art. 8. quest. 3. Petrus de Perusio cap. 1. n. 6. & cap. 2. sub num. 3. Rebut. in practi. benef. tit. de vnioni. num. 15. & tit. de vicarijs perpetuis num. 3. Corraf. 4. p. num. 57. Mandos. regula 12. quest. 1. num. 4. & conf. 27. à num. prin. Oieda de benef. 1. p. cap. 13. num. 2. & 8. & 2. p. cap. 3. Gonzal. gl. 5. §. 7. num. 112. cum seqq.
- Et hæc duo beneficia vnita æquè principaliter si sint in diuersis diocæsis, vel aliàs diuersis collatoribus spectent, in illo tempore prouisione requiritur vtriusque Episcopi, seu collatoris consensus, Abb. in d. cap. 1. n. 6. Caccialup. art. 2. num. 2. & art. 8. quest. 3. Petrus de Perusio cap. 1. num. 6. Nicol. Garcia de benef. 2. som. tit. de vnione 12. p. cap. 2. à n. 47. quod secus est, quando in prouisione beneficij, cui alterum alterius diocæsis est vnitum accessoriè, quia tunc sufficit consensus Episcopi beneficij principalis dumtaxat, Petrus de Perusio de renouatione vnionis cap. 6. quest. 6. num. 4. Puteus decis. 43. 3. lib. 2. & decis. 40. lib. 1. & decis. 15. lib. 2. p. 3. diuersorum. Gonzal. *suprà* num. 24. quia non attenditur natura, & qualitas beneficij annexi accessoriè, sed dumtaxat principalis, ex auctoribus superius allegatis, vnitum alteri principali, assumit eius naturam, consuetudines, & priuilegia, gl. in d. temporis. & in d. cap. 1. Petrus de Perusio cap. 2. num. 10. & 19. Nauar. conf. 6. num. 2. & perdit propriam prerogatiuam, proprium nomen, ac titulum beneficij extinguitur, ac supprimitur, & de cetero denominatur à principali, optimè multa per Gonzal. d. gl. 5. §. 7. ex num. 2. & Nicol. Garcia d. 12. p. cap. 2. à prin. apud quos videre poterunt multos, ac elegantes effectus, resultantes

- hoc, quòd beneficia sint principaliter vnita, vel quando accessoriè vnium alteri.
- 123 Nostra autem superius dicta conclusio; vt in Parochialibus iuris patro. laicorum locum non habeat concursus; declaranda erit, vt intelligatur, quòd patronus laicus vnium dumtaxat præsentat, secus autem si præsentat plures, nam inter ipsos præsentatos, & non alios examen per concursum omnimodo faciendum est, & reperti idonei sunt ab examinadoribus approbandi, & ex his approbati est vnus idoneus ab Episcopo eligendus, vt sacra Congregatio Concilij *super d. cap. 18. super vers. quod si iuris patronatus*, his verbis declarauit: Eueniente vacatione Parochialium de iure patronatus laicorum, quando plures sunt præsentati, requiritur examen per concursum inter ipsos præsentatos tantum, vt ex his, qui peracto examine idonei ab examinadoribus renutiati sunt; Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicauerit, ad quod illum, & non alterum instituat, iuxta hoc decretum.) & ita tentum fuisse in Rota refert Flami. Paris. de resig. lib. 6. quest. 5. n. 21. Gonzal. gl. 6. n. 138. Riccius in pract. Eccles. concursus decis. 416. n. 2. Marefcot. *variar. resolut. lib. 1. cap. 52. n. 1.* Rota nouissima per Ludouisium decis. 493. num. 3. qui testatur idem fuisse tentum in Pampilonen. de Zal. 26. Iunij 1609. coram Ortenbergo. & in alia Pampilonen. Parochia 27. Ianuarij, 1614. coram Coccino Decano.
- 124 Quod tamen intelligendum est, prout & rectè intellexit Nicol. Garcia de benef. 2. som. 9. p. cap. 2. num. 257. vt procedat, quando singuli præsentati à Patronis laicis habet æqualem, seu æquales voces, quia tunc inter ipsos habebit locum concursus, nam si aliquis haberet plures magisque voces, hoc est maiorem partem patronorum, is dumtaxat erit examinandus, & idoneus repertus, instituentus, iuxta cap. 3. de iure patro. & ibi Glossa, Couar. in regul. peccatum 2. p. §. 7. n. 4. Lamberti. 1. p. 2. lib. quest. 10. art. 3. num. 17. & 3. p. 2. lib. quest. 4. art. 1. Ioan. Gutierrez. caso. lib. 2. quest. 11. num. 20. Vega in summa 1. p. cap. 36. casu 34. & est de mente præfata declarationis Cardinalium, & Doctorum locis proximè citatis. ita latius Rota nouissima per Ludouisium decis. 494. num. 3. affirmans ita fuisse dictum in Pampilonen. Parochia. 27. Ianuarij 1614. coram Decano. nam attenditur maior pars prædominans, cap. 1. de his quæ sunt à maiori parte cap. 1. quod maior. ff. ad municipalem. c. sedes de rescript. l. sed & srem. §. 1. l. quidquid. §. si. ff. de acquir. rerum domi. & semper à potentiore denominatio, l. quaritur. ff. de statu homi. l. in l. 1. in prin. num. 2. 1. ff. de verbob. obligatio. Roman. à Valle conf. 23. ex num. 26. volu. 1.
- Et hinc est quòd licet in patronatu mixto 127 non intret referuatio, procedit in mixtura æquali, at si pars clericorum habeat plures voces, quàm laicorum, alteratur beneficij natura, & intrat referuatio. Gambarus in tract. de pote. lega. lib. 3. de pote. lega. in conferen. benef. n. 368. vers. fallit tamen & seqq. Couar. in practi. quest. cap. 36. num. 5. post medium. Crescentius decis. 3. in prin. de iure patro. & latè Gonzal. gl. 18. ex num. 15. ac ideo quando plures clerici à patronis præsentantur, vnus tamen habeat plures & magis voces, is solus examinandus est iuxta superius dicta, cessante concursu, prout ita pluries vidi prædicatum adductis processibus per viam violentiæ ad hunc Regium fenatum, quo declaratur, vim nullam facere ordinarij, non deferentem appellationi interpositæ per alium præsentatum, minorem partem vocum habentem, ob non admissionem ad examen, seu concursum. quæ resolutio fallit quando habens maiorem partem vocum, se subiiciat examini, & concursui, quia sibi præiudicat, & perinde habetur, ac si habeat pares voces, ita fuisse resolutum in vna decis. Pampilonensi Paroch. 27. Ianuarij 1614. coram Coccino Decano testatur nouissimè Alexander Ludouisius d. decis. 494. sub num. 3.
- Hinc succedit dirimenda illa quotidiana 129 quæstio in supremis tribunalibus: an appellationi emissæ à patrono, eiusve præsentato ad beneficium à collatione, seu institutione facta ab Episcopo, spreto, & contempto iure patronatus, non deferens vim faciat, siue in parochialibus, siue in simplicibus beneficiis (quando extraiudicialiter in istis fit prouisio) in quo resolutiue affirmatiuam partem amplector; scilicet, vim fieri, quoniam huiusmodi appellatio est licita, quoad vtrumque effectum, & deuolutiuum, & suspensiuum.
- Quoniam certum est prouisionem beneficii nullam executionem non mereri, sed 130 appellationi deferendum ex his, quæ à principio huius capituli adduximus, sed huiusmodi collatio facta ab ordinario, spreto, & 131 contempto patrono, & iure patronatus intra tempus datum ad præsentandum, est nulla ipso iure, text. est in l. discernimus 16. q. 7. Abb. in c. cum Bertol. de re iudi. n. 13. & ibi Fel. num. 8. & seqq. Prob. ad Monach. in c. 1. de off. deleg. in 6. num. 14. Rochus verb. honorificum num. 2. Lamber. 3. p. 2. lib. quest. 2. art. 2. Corraf. 4. p. c. vlti. num. 25. Ioan. Nicol. Gimè. in enchirid. benefic. tit. 5. c. 7. à num. 9. Gregor. Lopez in l. 5. tit. 15. p. 1. glo. 2. & Mohedan. decis. 6. de iur. patro. aliàs 268. & aliàs 266. incipit resolutum. fol. 221. per quem & Feli. in c. cum



c. cum inter. colu. 3. de exceptio. in tractatu quod  
littere nocent patro. dicit Flami. Pari. de resign.  
benef. lib. 2. quest. 4. num. 3. optimè etiam per  
Spinam in specul. test. glo. 4. prin. à num. 96. ex  
text. in c. decernimus. & in d. cum Bertol. de re

132 iudi. Ex eorum verbis (ibi irritam noueris)  
& ibi (irritam fore) constat, cum sint verba  
præsentis temporis, quæ inducunt nullita-  
tem ipso iure, per doctrinam glossæ in l. crim.  
C. de iuris d. omni. ind. & in c. 2. de hereticis lib. 6.  
verb. innodetur. & est commun. secundum  
Feli. in c. Rodul. n. 2. §. de rescript. lll. in l. posthu.  
nati. n. 2. §. C. de honor. poss. Menes. in l. 1. n. 2. C.  
de iuris & facti ignoran. & sic sequitur, quod  
cum sit ipso iure nulla prouisio, & collatio  
facta ab ordinario absque præsentatione pa-  
troni, executioni, (siue simus in beneficiis  
curatis, à quibus siue extraiudicialiter, siue  
iudicialiter procedatur, non datur appella-  
tio suspensiuæ; siue simus in beneficiis sim-  
plicibus, in quibus non appellatur, quando  
extraiudicialiter proceditur, de quo nos la-  
tè supra lib. 2. c. 13. à princ.) executioni, in-  
quam mandandam non esse, quam non me-  
retur actus nullus, iuxta l. 4. §. condemnat. ff. de  
re iudi. & sic appellationi deferendum esse  
constat ex dictis hoc capite.

133 Quod tamen est declarandum, & intelli-  
gendum, hanc collationem esse nullam, si  
ipse patronus reclamauerit, ac contradixerit  
intra tempus à iure concessum sibi ad præ-  
sentandum, nam alias sustinebitur, & valida  
remanebit eo transacto absque cõtradictio-  
ne, probant Cardin. in clem. 1. de supplen. negl.  
prelato sub num. 11. Abb. q. 5. n. 7. alios allegans  
Felin. in d. cum Bertol. n. 10. & in c. cum  
ex off. de prescriptio. n. 36. & in tractatu quod li-  
ttere Aposto. limi. 10. Prob. in c. statutum de pre-  
ben. Selba. de benef. 1. p. q. 6. num. 15. & 3. p. q. 9.  
num. 2. Roch. d. n. 2. Lamb. vbi supra & q. 8.  
art. 2. num. 3. & q. 9. art. 24. Rebuff. in prax. 3.  
p. signat. verb. nec non iuris patro. num. 52. & de  
nominatio. q. 17. num. 3. 1. alias 11. & consil. 79.  
& 81. Corraf. & Gregor. vbi supra. Gambar.  
de off. deleg. lib. 3. à num. 34. Petr. Pequi. in re-  
gul. benef. num. 26. in 6. Ferrer. consil. 133. num. 1.  
Hieronym. Gabriel. consil. 185. lib. 2. Perez de  
Lara de anni. & appel. 2. c. 10. num. 29. Flami.  
Pari. de resign. benef. lib. 8. q. 10. num. 10. Zerol.  
in prax. Episcop. 1. p. verb. ius patro. §. 8. dub. 8.  
Caputaq. decis. 133. p. 1. Moheda. vbi supra.  
Puc. decis. 412. lib. 1. optimè Spina vbi supra  
in d. glo. 4. num. 99.

134 Et licet huic doctrinæ, seu declarationi  
plures assignent Doctores rationes, nulla  
potior illa, nam nullitas collationis ab ordi-  
nario factæ spreto patrono, cum sit inducta  
in fauorem ipsius patroni, atque ideo ita de-  
mum est nulla si ipse voluerit, & nõ contra-

dicat, quam reddunt Spina vbi supra sub  
num. 99. Cassiodor. decis. 2. num. 4. de locato. &  
Rota decis. 77. p. 1. diuers. Rot. decis. 10. de iur.  
patro. alias 52. 8. in antiq. Nicol. Garc. de benef.  
1. tom. 5. p. cap. 9. num. 238. nam vbi actus an-  
nullatur in fauorem alicuius, subintelligitur  
tacita illa conditio si voluerit ille, in cuius  
fauorem actus annullatur. gl. l. filio præterito.  
& ibi gl. fi. ff. de iniusto rupto latè Tiraquel. in  
tract. le mort saist p. 7. declaratione prima. vt in  
emphyteuta, qui si non soluit per biennium  
canonem, cadit in commissum, domino vol-  
lente, & declarante l. 2. de iur. emphyteu. Bal.  
in l. fi. num. 4. C. de reuoca. dona. Cuma. consil. 164.  
colu. 3. Decius consil. 146. & consil. 60. num. 8.

Et ista reclamatio inducitur non solum  
137 tacitè; scilicet præsentante patrono intra  
tempus, sed etiam ex contradictione expres-  
sa locum habet, ita ex Mandos. Mohedano,  
& aliis aduertit Nicol. Garc. de benef. d. 1. tom.  
5. p. cap. 9. num. 281. & 243. & in nostro casu,  
scilicet, data appellatione non est dubium,  
quia est contradictio expressa. nulla enim  
maior contradictio, quam appellatio, cum  
ea orta sit dumtaxat ad impugnationem  
actus, ex toto tit. ff. & C. de decretal. lib. de ap-  
pellationi. & de multis actibus factis contra  
138 patronatus ius, qui reualidantur subsecuto  
tacito, vel expresso patroni consensu: vide  
aliquos per Garciam vbi proximè & superius,  
& quæ copiosè gessit Flami. Paris. de resign.  
lib. 2. quest. 4. per totam.

Sed inde incidit alia soluenda difficul-  
139 tas, an appellationi à clerico præsentato ad  
Parochialem, asserente; se habere maiorem,  
& famiorem partem patronorum, & vocum;  
interiectæ à sententia, & institutione, seu  
prouocatione ad examen alterius præsentati  
ab alia patronorum parte, quem minorem  
habere, aduersarius appellans contendit:  
non deferens ordinarius, imò ea postpo-  
sita ad executionem, & possessionis tradi-  
tionem tanquam Parochialis procedit, vim  
faciat. Et videtur affirmatiuè dicendum, quo-  
140 niam præsentato à maiori parte patronorum  
debet fieri institutio, ac præferri debet præ-  
sentato à minori parte. text. est in c. quoniam,  
de iure patro. c. quia propter. c. auditus de electione,  
arg. l. quod maior ad mun. c. prudentiam in prin.  
de off. deleg. & quemadmodum hæc patrono-  
rum pluralitas consideratur, distinguendo  
141 inter ius patro. competens pluribus vt sin-  
gulis, aut pluribus vt vniuersis, bene expli-  
cat post alios Spina in specul. test. gl. sub. n. 88.  
vers. cum agitur. ergo facta institutio præ-  
sentato à minori parte erit nulla, & per con-  
sequens appellatio legitima, ex dictis  
prin. huius cap.

Secundò faciunt, quæ paulò antè dixi  
142 reliquimus.

reliquimus, ex c. decernimus 16. quest. 7. de in-  
stitutione facta contemptis, & spreto patro-  
nis; vt sit irrita ipso iure, ac propterea etiã in  
Parochialibus appellationem ab ea interpo-  
sitam, vt quomodo habere effectum, deuolu-  
tium, & suspensiuum; sed hic contemnuntur  
patroni ad quorum præsentationem nec-  
essariò erit facienda institutio; ergo nulla  
aliter facta, & per consequens appellabilis.

143 Sed contrariam sententiam, imò in Paro-  
chialibus (à cuius prouisione siue iudiciali-  
ter, siue extraiudicialiter sit processum, ap-  
pellatio non admittitur regulariter ex de-  
creto Trident. sess. 24. de reformatione cap. 18.  
& motu proprio Pij V. nos latè supra lib. 2.  
cap. 13.) huiusmodi appellationi minimè de-  
ferendum, eo quod institutio sit præsentato  
à minori parte, vt appellans prætendit. nam  
casu, quo à minori parte patronorum præ-  
sentato fiat institutio, non dicitur contem-  
ptum ius patronatus, & ideo non est nulla  
ipso iure, siquidem text. in d. c. decernimus 16.  
quest. 7. dum annullat prouisionem factam  
spreto fundatoribus Ecclesiæ procedit, &  
locum habet, quando ipsum ius patronatus  
contemnitur; hoc est, quando beneficium  
pertinens ad præsentationem patronorum,  
ordinarius cõfert illud vt merè collatiuum,  
tanquam ad eius liberam prouisionem spe-  
ctans, nulla facta mentione patronorum, ad  
quos de iure competit præsentatio, & quan-  
do ipsum ius patronatus spernitur. At quan-  
do ordinarius non vt merè collatiuum, &  
145 eius liberæ dispositioni pertinens, sed vt iur-  
is patronatus, illud quoquo modo agno-  
scendo instituit; cessat ratio ac dispositio il-  
lius text. quod institutio non sit irrita ipso  
iure, qui quidem intellectus satis cõueniens  
est menti, & verbis illius, quæ sunt hæc: De-  
cernimus, vt quandiu fundatores Ecclesia-  
rum in hac vita superstites fuerint, pro eis-  
dem locis curam habeant sollicitam, itaque  
rectores idoneos in eisdem basilicis, iidem  
ipsi Episcopo offerant ordinandos, & si spre-  
tis eisdem fundatoribus rectores ibi idem  
præsumpserit ordinare Episcopus, & ordi-  
nationem suam irritam nouerit, & ad vere-  
cundiam sui, alios in eorum loco, quos ipsi  
fundatores condignos elegerint, ordinari.  
Hætenus cuius verba clarè probat nostrum  
intellectum, & est ex mète Doctorum, quos  
in sui comprobationem superius latè addu-  
ximus à num. 131 qui omnes hoc supponunt,  
tunc procedere huius text. dispositionem  
annullantem cõtemptum ipso iure, quando  
scilicet, ordinarius instituit, vel contulit Ec-  
clesiam absque præsentatione, & ea spreto,  
sed vt liberè collatiuum, vt ex eis apparet.

146 Pro quo etiam fortiter facit, quod dicunt

post alios Caued. in tractatu de patron. Reg. c.  
8. n. 3. & seg. & Lara de anni. lib. 2. c. 9. n. 40. &  
seg. quod quando lis vertitur inter patronos  
super iure præsentandi, ad quem pertineat,  
præsentatus à possessore sustineatur euicto  
postmodum iure patro. à veris patronis. At  
verò quando lis non est inter patronos; sed  
inter patronum, & Episcopum, tunc euicto  
iure patronatus à vero patrono, remouetur  
à beneficio prouisus ab Episcopo. Rationem  
differentiæ reddunt, quia hoc vltimo casu  
prouisio fuit nulla ipso iure ex dispositione  
c. decernimus, non verò in casu præcedenti, &  
nos diximus inferius.

Et huic intellectui etiã fauet non parum,  
147 quod inter interpretandum d. c. decernimus  
adducit latè Lamberti. de iur. patro. 3. p. lib. 2.  
art. 2. quest. 2. prin. præcipiè à num. 7. & supra.  
vbi dicit in fortioribus terminis, quod quo-  
tiscumque ordinarius institueret præsentatum  
per aliquem non patronum, non diceretur  
instituito ipso iure nulla, quia non diceretur  
spreuisse patronum, iuxta text. in c. illud.  
ad fi. de iure patro. & idem Lamberti. iterum  
ibi num. 44. quibus locis dicitur, tunc habere  
ius, & iustitiam, verum patronū instare pro  
reuocatione, & irritatione illius præsentationis,  
& institutionis subsequenter, non vt ab  
eo præsentatus admittatur. Non verò est  
nulla & irrita de facto & ipso iure, & sic si  
ad præsentationem veri patroni, licet minori-  
us partis ordinarius instituat, iam agnoscit  
ius patronatus, illudque non contemnit. &  
ideo si contemptio non adest, nec nullitas  
ipso iure. licet sic iniustitia faciet instituen-  
do habenti minus ius, cuius cognitio superi-  
ori Ecclesiastico iudici, de appellatione  
cognituro, atinet, nõ Senatui Regio de vio-  
lencia cognoscenti.

148 Absurdum enim magnum foret, si peten-  
ti fundum, suumque esse probanti aduersa  
sententia feratur à iudice applicante alteri  
parti, declarantè que huic pertinere: dicere,  
hanc esse sententiam nullam, iniustam tamen,  
contra quam remedia ordinaria appellatio-  
nis à iure prodita sunt, non nullitatis. quia  
cum sit lata aduersus ius litigatoris, nulla  
non dicitur. ex his, quæ Vantius de nullit. sen-  
tent. tit. de mod. viden. process. sub num. 8.

149 Si enim ordinarius declarasset istum non  
habere ius patrona. etiam si probatum ha-  
beret, sed aduersarium; non est nulla senten-  
tia ipso iure, sed dumtaxat iniustitia, & quã-  
do non esse iuris patronatus Ecclesiæ, sed  
morè collatiuum declarauit, hoc est iustum  
grauamen reformandum, & reuocandum à  
iudice superiori adito per viam ordinariam  
appellationis. ergo multo minus diceretur nul-  
la sententia; qua declarauit faciendam insti-  
tutionem



tutionem ad præsentationem quorundam patronorum, qua minorem partem esse, cõ-  
tendit aduersarius appellans, cum idem sit  
de parte quoad partem, quod de toro quo-  
ad totum, & cui licet quod est plus, licet  
quod est minus. & si hoc casu daretur con-  
temptus; sequeretur exinde, quod siue in-  
stitutio fiat ad præsentationem maioris, siue  
minoris partis patronorũ, cum vna sit relin-  
quenda; dicerentur etiam contempri patro-  
ni. quod foret absurdum, cum semper foret  
nulla quævis institutio.

150 Ac ideo cum supremorum tribunalium  
auditoribus non pertineat, regulare has vo-  
ces, sed extraiudicialiter notoriam vim le-  
uare, nec adit ex hoc capite nullitas noto-  
ria in sententia, sed dumtaxat fortè iniustitia,  
horum communiter praxis cotidiana  
obtinuit, vt in beneficiis curatis ex hoc ca-  
pite vim non fieri per Ecclesiasticum, non  
deferentem huiusmodi appellationi, decla-  
retur, causamque ad eundem remitti, vt  
suam queat sententiam executioni deman-  
dare. & hoc iure vimur, maximè cum in  
huiusmodi processibus circa ius patronatus  
inter comparatos vix aut rarè de iniustitia  
constat notoriè, siquidem hinc inde tot, ta-  
liaque deducuntur, quæ in iure, & in facto  
notabilem intricationem, & obscuritatem  
præparant, quæ tollit notorietatem, & ideo  
minimè suspendit appellatio ex iis, quæ ex-  
actè supra à num. 34. cum seqq. secus si de no-  
toria iniustitia appareret absq; aliqua intri-  
catione in iure aut in facto. vide quæ n. 154.

151 Et sic ad hos terminos est reducendus  
Bald. *conf. 17. factum sic proponitur lib. 5. in prin.  
& num. 2.* qui motus ex dispositione *c. quoniam,  
de iur. patro.* dicit, institutionem factam  
præsentato à minori parte patronorum, esse  
nullam ipso iure, refert cum Card. Tuf. *tom.  
6. liter. P. concl. 145. num. 3. & 5.* nihil in com-  
probationem adducens, sed Bal. intelligen-  
dus est prout loquimur, & secundum text.  
quem allegat, qui quidem illam conclusio-  
nem non probat, sed quod venit irritanda  
institutio, vt exactissimè per eundem Lam-  
berti. supra relatum.

152 Nec obstat doctrina Gutieri. *lib. 2. canon.  
quæstio. cap. 11. num. 20. & 21.* Nicol. Gar. *de  
benef. 9. p. cap. 2. num. 257.* Riccij. *in pract. Ec-  
cles. iuris patro. decis. 191. num. 198.* Caualean.  
*decis. 1. num. 1. colu. 3. & Rot. decis. 117. p. 2. di-  
uers.* quos nonnulli allegant pro contraria  
parte, dum dicunt, quòd regulariter insti-  
tuendus est is præsentatus à patronis, qui à  
maiori parte fuerit præsentatus. cui facili-  
mè responderetur, quòd licet de iure sit, quòd  
153 debeat sic præsentatus institui, & ordinarius  
non faciens faciat iniustitiam: non tamen

nullitatem, nec Doctores id dicunt. non enim  
sequitur; probauit rem petitam meam esse,  
iudex contrarium declarauit, & sic contra  
iustitiam; ergo nulliter fecit. & sic licet via  
& remedio appellationis non suspensiuæ pos-  
sit reuocari sententia, non tamè via nullitatis.

Vnum tamen te admoneo, quòd si ordi-  
narius, dum vocum, & patronorum faciens  
computationem in sententia, constaret eui-  
denter, maiorem partem pertinere alicui ex  
præsentatis clericis, & nihilominus facien-  
dam institutionem alteri, cui facta compu-  
tatione erronea vocum in sententia expres-  
sè, minor pars pertineat; declarauit. ista sen-  
tentia etiam si sit in Parochialibus, esset  
appellabilis quoad vtrumque effectum, cum  
sit nulla ipso iure, tanquam lata contra iuris  
clari dispositionem clausi in corpore iuris,  
dictantis, vt institutio fiat ad præsentatio-  
nem maioris partis patronorum, minore re-  
lictæ, text. *in c. quoniam de iur. patro. cap. quia  
præter. c. auditis. de electione.* cum aliis. & ideo  
cum de facto constat indubitabiliter ex ea-  
dem sententia; ius est applicandum, aliàs  
erit nulla. text. *in l. 1. §. item cum ff. que senten-  
tia sint appell. reci. l. si expressim ff. de appella. l. 2.  
C. quando prouocare non est necesse. cap. 1. de sen-  
ten. & re iudi.* vt puta quando iudex decla-  
ret, vbi supponat, aliter aliquem minorem  
14. annorum, & declarat validum eius tes-  
tam. vel patrono non dādum 6. vel 4. men-  
ses ad præsentandum. Anchar. *conf. 372. pro  
declaratione, in prin.* Matesil. *not. 20.* Decius  
*conf. 8. post prin. lib. 1. & requiritur quòd sit er-  
ror iuris patenter & manifestus in sententia,  
ad oculum visibilis, & habita relatione ad ca-  
sum, & tenorem legis claræ, & publicæ, ac  
indubitabilis, prout est d. c. quoniam disposi-  
tio, non autem sufficit, quòd oculo men-  
tis & per subauditos intellectus percipia-  
tur. nam si error ex expressa sententia non  
exprimitur, sed per relationem ad acta, non  
erit sententia nulla, testatur de communi  
Alexa. *conf. 69. attentis. colu. 5. vers. nec obstat,  
lib. 3. & proinde l. si expressim. & d. l. 2. ibi, tam  
manifesti iuris, &c.* text. *in c. soler. ibi, vel in-  
tolerabilem errorem in sententia fuisse pat-  
enter expressum, de senten. ex com. lib. 6. c. ve-  
nerabilibus §. si. eod. tit.* & ita tenet Innocen.  
Hostien. *in c. p. & circa. fi. de off. delega.* cuius  
dictum reputat famosum, & elegans singu-  
larè que Anto. *in c. ab excommunicato, de rescrip-  
& Doctores in d. cap. 1. vbi Felin. colu. 8. de re  
iud. l. 1. §. 2. colu. 3. c. de errore calculi, expres-  
sum autem illud solummodo dicitur quod  
ex verbis infertur, & colligitur, Bal. in l. ad  
probationem, la. 1. c. de probatio. Angel. in l. p.  
tor aut ff. de oper. noui nuntiatio. quos referens  
sequitur Decius *conf. 68. colu. penult. late* &  
optimè**

optimè hunc articulum examinat Vanti. *de  
nulli. senten. ex defect. process. à num. 118. cum  
multis seqq.* & ideo ex hoc capite (quod rarè  
aut nunquam contingit) sententia dicitur  
nulla ipso iure, & appellabilis. non autem ex  
c. contemptus iuris patronatus. & idem erit  
quando apparet euidenter & notoriè de no-  
toria iniustitia, absque vlla intricatione in  
iure, aut in facto, quia tunc etiam efficietur  
causa appellabilis, vt latè dixi supra, à n. 34.  
cum seqq. & num. 150. quod vix contingit  
in iis casibus.

Et pro huius materiæ perfectione adden-  
dum est illud, quòd quamuis (beneficia Ec-  
clesiastica curata, quæ cathedralibus, colle-  
giatis, seu aliis Ecclesiis, aut monasteriis, be-  
neficiis, seu collegiis, aut piis locis quibus-  
cumque perpetuè vnita, & annexa reperiu-  
tur, ab ordinariis locorum annis singulis vi-  
sitentur, qui sollicitè prouidere procurent:  
vt per idoneos Vicarios, etiam perpetuos,  
nisi ipsi ordinariis pro bono Ecclesiarum  
regimine aliter expedire videbitur, &c.)  
ibidem deputandos animarum cura lauda-  
biliter exerceatur, appellationibus, priuile-  
giis, exemptionibus, etiam cum iudicio de-  
putatione, & illorum inhibitionibus quibus-  
cumque in præmissis minime suffragariis.)  
quæ sunt verba Concilij Tridentini *sess. 7. de  
reformat. c. 7.* quo, vt vides, deducitur à com-  
pulsione ordinarij proponendi Vicarios per-  
petuos in huiusmodi curatis vnitis appella-  
tioni emissa licet non deferat, vim nullam  
faciat.

156 Tamen in huiusmodi Vicariis perpetuis  
Parochialium vnitatum concursus nullatenus  
necessarius est in eorum prouisionibus:  
sed dumtaxat ad nominationem, seu præ-  
sentationem illorum, quorum dignitati, mo-  
nasterio, vel Ecclesie vnita sunt, & annexa  
deputandos, & instituendos esse, text. *in c. ex-  
tirpande. §. qui verò & c. de monachis. de præ-  
bendis. c. unico de capellis monachorum in 6. &  
c. 1. de iure patro. Abb. in d. §. qui verò num. 9.  
Petrus de Perus. in tract. de vnionibus c. 11. q. 6.  
Rip. *responsor. lib. 2. respons. 18. n. 4.* Nauarr. *in  
conf. 11. de statu monachorum num. 3. & 7.* Ioan.  
Gutier. *conf. 44. Rot. decis. 798. n. 5. p. 1. diuers.  
latè Gonz. de men. & alter. gl. §. 3. à num. 19.  
vbi de materia Vicariorum, & præcipuè à  
n. 50. cum seqq. & gl. 60. à n. 160.* optimè etiam  
latè disputat Nicol. Garc. *de benef. 9. p. c. 2. à  
n. 285.* nonnulla etiam in comprobationem  
applicat fundamenta Aloys. Ricc. *in pract.  
Eccles. concurs. ad Eccles. Parochial. decis. 417. per  
totam.* Calerus *in sua Margar. selectorum ca-  
sum conscientia, verb. Paroch.* pro quo facit  
institutio Pij V. 46. super declaratione por-  
tionum assignandarũ Vicariis perpetuis Pa-  
salgada de protect. Reg. Tom. 11.*

rochialium, quæ incipit *ad exequendum, & in  
verf. volumus,* ita loquitur: Volumus insuper,  
& ita mandamus, quòd dicti Vicarij perpetui  
non ad liberam ordinariam electionem, sed  
ad nominationem illorum, in quorum  
Ecclesiis vnitis ponentur, cum ipsorum  
ordinariorum, seu eorum Vicariorum, præ-  
uio examine, approbatione deputentur, &c.)  
& ita pluries determinauit sancta Congre-  
gatio Concilij Trid. super decreto 7. *sess. 7. de  
reformatio.* vt super verf. *Vicarios etiam perpe-  
tuos, &c.* ita ait: Congregatio censuit, nomi-  
nationem Vicariorum ad beneficiatos perti-  
nere, & hoc etiam ad eos, ad quos beneficia  
vnita spectant. sic etiam Pius V. dicta Bulla  
citata addens, ordinarij, vel eius Vicarij præ-  
uio examine approbationem necessariam  
esse, &c.) & iterum alia super eodem verf. in  
hæc: Ex dicta Bulla Pij V. Calendis Nouem-  
bris anno 2. nominatio Vicariorum, & per-  
petuorum spectat Ecclesiis, seu locis, qui-  
bus dictæ Parochiales sunt vnite, &c.)

Et aduerte quòd eadem cõgregatio Con-  
cilij ibi super eodem verf. *Vicarios etiam per-  
petuos,* ad finem ait ita: Ad dictam nomina-  
tionem faciendam poterit Episcopus præfi-  
gere terminum decem dierum, &c.) & quòd  
in vltima declaratione ipsius c. 7. super verf.  
*super certa re assignanda,* in vltima declaratio-  
ne in hæc verba: Sanctissimus Dominus no-  
ster Gregorius XIII. non habet pro reuo-  
cata Bulla Pij V. de Vicariis perpetuis, cum  
hac limitatione in fauorem monasterij, vt  
Episcopus ad nominationem Monachorum  
deputet vnum ex ipsis præuio examine ap-  
probato, & ad nutum ipsorum amobilem,  
& cum Vicario sic deputato debet habitare  
vnus dumtaxat alius monachus, nec plures  
extra claustrum maneat, sed non ita  
censendum, si vellent deputare capellani-  
um seculari ad nutum amobilem, hoc  
enim pertinet ad Episcopum, &c.) & nota  
hæc ad quem huiusmodi nominatio perti-  
net, quoniam super ea vidi plures violentias  
in hoc nostro supremo tribunali tollendas  
trahere.

Pariter & eodem modo obiter est viden-  
dum an appellationi interpositæ per colligantem  
superflitem à prouisione, institutione,  
seu concursu facto super beneficio liti-  
gioso cedente, vel decedente colligante  
possessore, vel non possessore per ordina-  
rium non deferentem, vim fieri, sit dicen-  
dum, & quotidie in tribunalibus hoc solet  
declarari, vim fieri, & reponi, certissimum  
siquidem est, quòd quando beneficium cu-  
ratum, vel simplex super quo lis pendet, al-  
tero ex litigantibus cedente, vel decedente,  
siue in possessione, siue non ab ordinario,  
k alius